

CLODIVS FRANC'ORVM REX.



**C**Lodius filius fuit Pharamundi regis Franco-  
rum. hūc ob egregias uirtutes Franci sibi re-  
gem elegerunt, anno Christi 430. Hic primus suos  
comas & barbas nutrire edicto præcepit, ut à Gal-  
lis dignoscerentur: unde etiam Capillatus dictus  
fuit. Is deinde Thuringos & Saxones compescuit  
atq; cum eis foedus inijt. Inde explorata interiori  
Gallia omnes regiones circa mare subegit. Nā Ba-  
tauos, Tūgros, Menapios, Terouanos, Morinos,  
Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atreba-  
tenses, Beluacēses, & quicquid his regionibus in-  
teriacet, ultraq; Sequanam & Ligerim existit, Frā-  
corum regno magna gloria adiecit. Cum hoc mo-  
do per uiginti annos præfuisset, obiit, & Meroueo filio regnū reliquit. Blond.

Trithem,